

hominum omnibus ac singulis verè eas commeritis incum-  
 bebant, ut omni jure locus Esaiæ citatus hujus loci commen-  
 tarius esse possit, ibi enim נגוע Plagatus dicitur ab eadem  
 voce, quæ hîc occurrit de *Plagis filiorum Adam*: quæ & ipsa  
 vox h. l. tanto magis est memorabilis, quia non tantum ge-  
 neratim hominum, vere מַשְׁחַת i. e. mortifera peccati labe  
 decumbentium virgam DEUS illi destinat, sed & per plagas  
 filiorum Adam, in ipsum immittendas, ad primarium in or-  
 bem introducti peccati principium humanum, lectores &  
 auditores tanti decreti graviter remittit: ita tamen, ut rema-  
 neat misericordia in eum, qui non ex proprio, sed alieno pec-  
 cato atq; supplicio redditus erat miserabilis. Id quod ex ap-  
 posita promissione vers. seq. 15. magis confirmatur: *At beni-  
 gnitas mea non movebitur ab eo quemadmodû amovi à Saule, quem  
 amovi à facie tua.* Quibus verbis expresse testatur DEUS,  
 Messiam non prorsus derelictum iri in plagis & passionibus  
 suis, quemadmodum impius Saul, qui à facie DEI etiam fina-  
 liter atq; in æternum fuit amotus 1. Chron. 10. v. 13. *Saul enim  
 mortuus est in prevaricatione sua.* Licet vero mortuus sit Chri-  
 stus imò æq; ac Saul in infernum descenderit; attamen post  
 mortem novos cruciatus infernales non sustinuit, sed, cum  
 Saul ut miserrimè damnatus ibi locum supplicii cœpit, Chri-  
 stus ut victorem ibi se stitit, potentiaq; ac robore DEI in in-  
 ferno gloriose stipatus fuit. Patet igitur ex ipso contextu in-  
 tegro, propriè hic agi de Christo, &, licet aliqua verba sint,  
 quæ ad Salomonem extra *σωα φδω* textus considerata rectè re-  
 ferri possint, (in quibus ultima verba quoq; ad Salomonis sa-  
 lutem probandam allegari solent, quam tamen aliunde rectius  
 probari posse autumo;) nihilominus hunc in tota sua con-  
 gerie consideratum textum ad Salomonem plane non attine-  
 re, sed unicè ac solitariè Jesum Christum Dei Filium *Ιεσους  
 υιου* spectare.

§. V. Secundum argumentum, quod apodicticè  
 C pro.